

quod novum amictum induere jubebatur. *Biblioth. script. Soc.*

PAUPERTAS IN VICTU. — P. Josephus Anchieta cum suis non nisi potione ex aqua et milio cocta, et pro esca leguminibus et ole-ribus vescebatur. *Hist. soc.*, p. I, l. XIV, n. 145.

P. Franciscus Villanova pauculis sæpe fructuillis e mensa sociorum relictis vivebat: eximium si quid offerebatur rejectit, addens, ne contumeliam sibi facerent, religioso quippe probrum ingens esse, in bona valetudine non vesci cibis communibus. In hospitibus nihil ad panem, nisi subinde parum casei addebat. *ib.*, p. II, l. I, n. 123.

S. Franciscus Borgia adhuc sæcularis cenam sibi perpetuo interdixit. In prandio ita parce victitabat, ut herbis et leguminibus coctis tantum uteretur, pane solum et frigida contentus. Lautilias et edulorum ferula respuebat. *Vit.*, l. X, c. 1.

P. Leonardus Lessius pluribus annis in diurnam suam refectionem solum par ovum, et pultem ex aqua et pane (panelletam vocant) admisit, et ne Superiorum liberalis caritas delicatioribus cibis edentulo jam seni offerret, intercessit. *Vit.*, c. XIX, n. 3.

PAUPERTAS IN HABITATIONE. — S. Ignatius jam Generalis, in cubiculo tenebrico et perangusto habitabat. quod viginti novem palmis longum, latum quatordecim, altum decem erat, et simpliciter elaboratum. *Vit.*, l. I, c. III.

S. Franciscus Xaverius ægotans Mozambici ex febris, licet multæ domus offerrentur, in valetudinario tamen communi inter ægotorum turbam semper jacuit. *Vit.*, l. I, c. XXXV.

S. Franciscus Borgia jussit nostris Septimaneæ domicilium extrui ex rudi materia et cemento, quæ suis humeris una cum Tyronibus comportabat; parietum vero loco storæ fragiles perexigua loca distinguebant. *Hist. soc.*, p. I, l. XIV. Idem Hispani conspiciunt domum in nostros usus a P. Joanne Suaro paratam ornatam, tam luculentam, graviter et commotus, et cum P. Suario conquestus. Unde paulo post in alias ruinosas angustasque migravit, quæ, cum ubique rimas agerent, et imbribus essent perviæ, crebro flebat, ut non modo cubile, verum etiam caput ipsum summa hominis cum voluptate perplueret. *Ibid.*, n. 38.

P. Josephus Anchieta ad S. Ignatium

scripsit, se cum aliis viginti in pauperula domo, luto et lignis contexta, paleis cooperta, quatuordecim passus longa, decem lata habitare, ibique scholam, valetudinarium, dormitorium, cœnaculum, coquinam, penum esse. Nec tamen ampliarum habitationum, quibus alibi Fratres nostri utuntur, desiderio illos ardere, si quidem Christus in arctiori longe loco, nempe S. Cruce habitavit. *Hist. soc.*, p. I, l. XIV, n. 145.

P. Alexander Hunneus enixe a Superioribus contendit, ut sibi in incommodissimo totius Collegii loco et cubiculo habitare liceret, quod tandem obtinuit, in eoque mortuus est.

Tilmannus Landismam per annos duodecim cubiculum ad gradus habebat, in quo interdum sutoriam exercebat, noctu vero stratæ culcitæ indormiebat. Anno 1632, *Prov. the coll. dissendortense.*

Joannes Ruiz paupertatis adeo erat studiosus, ut semper cubiculo caruerit, et in nescio quem angulum se abdidit, ut mira cum paupertate cubabat. Anno 1607, *Prov. Pervan. Coll. Linguaiense.*

PAUPERTAS IN MUNERIBUS RECUSANDIS. — S. Franciscus Xaverius cum Amangucci rex magnum auri argentique pondus obtulisset, remisit illis, hoc unum Regem precabatur, ut facultatem seminandi Evangelii concederet. Unde admiratus Rex tantam abstinentiam asperrantis, quod alii per ingentia fretorum terrarum pericula peterent, non dubitavit ejus Religioni favere, cujus virtutem suscipiebat. Hinc etiam Concionatores hortabatur, ut, ubicumque eis res ad victum necessariae suppetere, nihil ab aliis accipiant, quod dona libertatem eripiant. Cæterum, si parva quedam mitterentur, indicia benevolentiae verius, quam munera, non esse respuenda, ne amicitiam respuere videaris. Si quando magna vis cibariorum missa fuerat, ea valetudinario, carceri, cæterisque egentibus dividebat, ut omnes intelligerent, istarum etiam rerum maxima partem disperituri pauperibus. *Vit.*, l. IV, c. 9.

P. Petrus Faber, nondum conditis constitutionibus, proprio voto se obligavit, nunquam se pro Evangelio Missee Sacrificio, vel Confessionibus excipiendis quidquam accepturum, ac ne annuis quidem fructibus liberaliter usurum, nisi ad potestatem habentem cogere, quod ille votum inter magna Dei dona numerabat. Idem Moguntia

discedens, cum ei Cardinalis speciosa munera, vas præsertim argenteum magni ponderis obtulisset, remisit, dicens, se non ex his esse, qui argenteam suppellectilem, sed qui bona sua secum portarent. Altero tamen die cum ei Cardinalis ipse in Breviarii thecam centum florenos injecisset, ne contemnere Antistitem videretur, accepit quidem, sed statim vel Lovaniensibus Sociis in summa paupertate constitutis, vel aliis pauperibus distribuit. *Hist. soc.*, p. I, l. III, 33. Idem rogatus ab eodem Præsule, quid pro tantis laboribus peteret, respondit: Stipendium, amplissime Præsul, jam pridem accepimus, quod nullis unquam meritis adæquare liceat, cum dignatus est Deus vocatione sua sancta vocare in opus Evangelii, ut gratis daremus, quod gratis accepimus. *Vit.*, l. II, c. 44.

P. Jacobus Laynes in expeditione Africana nihil unquam de conquistis a se pro ægotis subsidiis pro se usurpabat: nihil unquam ab aliis toties ingratae memorie monumentum oblatum accepit, quod eum in magna veneratione apud omnes posuit. *Hist. soc.*, p. I, l. X, n. 94.

P. Aroz cum aliquando in Hispania concionaretur, finita concione, pro consuetudine loci magnam ei pecunie vim obtulere, in qua repudianda ita certandum fuit, ut populus ad strepitum altercantium accurrerit, qui, re cognita, non sine secunda admurmuratione discessit. Cum dein celebris quidam Concionator diceret Dominicanis cuidam docto. Patres Societatis magnum facturos fructum si universi in hoc concionandi modo convenirent, subjecit Dominicanus: Non in hoc summa rei vertitur, sed in eo, ut universi conveniant in factis, Deique verbo gratis ubique evulgando: facile dein, quantum ad pietatem opus erit, in dictionis forma convenient. *Ibid.*, l. III, n. 78.

PAUPERTAS IN MENDICATIONE. — S. Ignatius initio suæ conversionis Manresæ quotidie cogebat stipem. Idem studiorum tempore quotannis in Belgium abiit, et ab Hispanis mercatoribus pecuniam ad studia necessariam erogabat. *Vit.*, l. I et V, l. II, c. v.

S. Franciscus Xaverius, cum in Indiam veheretur, licet ei omnia necessaria a Præatore offerrentur, ipse tamen, rejectis omnibus, non nisi mendicamento vivebat. *Vit.*, l. I, c. XIV.

P. Petrus Faber, ubicumque erat, cona-

batur ostiatim alimenta perquirere, aut si id non posset, certe voluntatem accendebat, ita, si posset, mendicandi. *Vit.*, l. II, c. XXV.

PAUPERTAS IN NON DANDO ET ACCIPIENDO ABSQUE FACULTATE. — Anno 1556, ultimo maii in festo SS. Trinitatis jussit S. Ignatius P. Sebastianum Romæum Rectorem publicam disciplinam facere in medio Refectorio per unum Miserere, et præterea in parva mensa comedere cum solo pane et vino, sequenti vero die etiam nihil comedere, priusquam quosdam Orbiculos sacros (Agnus Dei vocant) ad ipsum tulisset, eo quod absque expressa licentia Superioris, quibusdam e nostris similia munuscula distribuisset. M. S. *Ingolst. l. 32, lit. F.*

B. Aloysius papyrum rogatus, non prius id dedit, quam a Superiore dandi facultatem obtinisset. *Vita.*

P. Thomas Sanchez absque facultate nihil dabat aut accipiebat, licet minutissimum, et, ut ipse scribit, nec filum, *Vita itin. præfata.*

P. Leonardus Lessius pro omni usu vel abdicatione facultatem petebat, usque adeo, ut, cum externus quispiam imaginem aliquam pro memnosyno peteret, eo ad portam relicto, tota domo diu multumque P. Ministrum quæreret, cumque P. Minister in extremis finibus inventus, miraretur illum, tantillam ob causam, pedibus tam male affectis, vastissima in domo discursisse, diceretque, Episcopice hic locum esse, respondit Lessius: Pater, præstat ante securum esse. *Vita*, c. XIV, n. 80.

Joannes Berckman per totam vitam deploravit, quod aliquando Fratri cuidam imaginem dedisset, non impetrata a Superiore (quem tamen quæsierat, facilię consensurum putarat) facultate. *Vit.* p. II, n. 139.

#### EXEMPLA PROFANA.

Crates Thebanus, cum se Philosophiæ ac virtuti Athenis mancipare vellet, lautissimum patrimonium vendit, et magnam inde confectam auri vim in mare projectit dicens; Abite pessum male cupiditates: ego vos mergam, ne ipse mergar a vobis. S. Hier., *Ep. ad Jul., diac.*

Photion paupertatis retinentissimus, cum ei Alexander Magnus centum auri talenta (quæ sexagies mille aureorum summam con-

ficienti) dono misisset, fertur ex Portitoribus quævisset : Cur hanc mihi pecuniam Alexander? cumque illi dicerent : Ob solam virtutem tuam, et quia te omnium Atheniensium optimum iudicat, respondisse : Sinat igitur me esse talem : et cum dicto aurum remisisset. *RODR.* p. III. tr. III. c. IV.

Diogenes Cynicus, cum Rex Alexander inopiam ejus cernens, diceret illi : Multis rebus egere videris : pete igitur, et dabo : generoso animo respondit : Utri vera, o Rex, plura deesse autumas, mihi ne, qui præter hanc tunicam et manticam meam aliud plane nihil quaero, an tibi qui ut regno Macedoniae alia adjectis, tot discriminibus caput tuum objicis, et cujus cupiditati explendæ vix totus sufficit orbis? ne ego te multo ditior opulentiorque sum. *S. BASIL.*, hom. XIV.

Socrates si quando forum transiens rerum venalium copiam intuebatur, dicere solebat : Quam nullis rebus non ego! Judicabat eum esse diis simillimum, qui quam paucissimis egeret, cum dii omnino nullius egeant rei. *LAERT.*, l. XX.

Aristides Atheniensis publice dixit posse se honestius veriusque sua inopia gloriari, quam Calliam Atheniensium ditissimum immensis obibus, quas possideret. Complures inveniri, qui fortunas suas in turpes usus collocarent : qui paupertatem generose ferrent, perquam paucos esse, nec paupertatem cuiquam, nisi invito esse indecorum. Cum dives quidam ei paupertatem objiceret, dixit : « Mihi quidem nihil mali adfert mea paupertas, tibi vero divitiarum non paucas perturbationes. *BEIRLINC.*, l. VI. f. 119.

Thebanus Epaminondas tot victoriis clarus Imperator, divitiarum abstinentissimus, unica veste contentus fuit, quam si quando vetustate obritam resarcire opus foret, domi clausum se tenebat. *PLUTAR.*, in *Epam.* Eum Thebani publica impensa et aere colato ob inopiam extulerunt. Cum Jason ei, quinquaginta talenta auri misisset : « Injuriam mihi facis, inquebat, simulque remisso auro, quinquaginta drachmas a cive pro viatico mutuatus est. Cum vero commiserisset satellitem suum a captivis pecuniam accipisse, ei ad se vocato dixit : Mihi da scutum, tu vero couponam eme, in qua vivas; non enim ulterius pericula adibis, cum dives factus sis. *ÆLIANUS.*, l. XI.

Scipio quinquaginta quator annorum spatio nec emit, nec vendidit quidquam,

adeo paucis fuerat contentus. Cum autem ejus quidam scutum eleganter apparatus ostenderet, dixisset fertur : Atqui Romanum civem par est in dextra spem ponere, non in sinistra. *BEIRLINC.*, l. VI. f. 118.

Demonax Philosophus nullum unquam sibi viaticum præparavit, sed cum esuriret, proximam domum, quam apertam videbat, ingrediebatur, ei victum ibi quaeritabat. Centenarius decessit, alitus publico sumptu. *BEIRLINC.*, l. f. 114.

Elianus de sapientibus Græcis testatur, eosdem bonorum temporalium inopes virtuosissime vixisse, dicereque solitos, paupertatem subsidium esse ad Philosophiam, quia quæ Philosophia verbis persuadere conatur, ad ea cogit paupertas. *MANSI.*, *dis.* II. n. 2.

Anaxagoras Clazomenius insigne paupertatis reliquit exemplum. Is etenim amplum patrimonium suis sponte concessit, pauperque studiis adhasit. *B. TULGOS.*, lib. IV.

Levinus quem Romani Consulem habuerunt, et qui Corintho urbe armis politus est, cujus spoliis non urbs Roma solum, sed pene tota Italia exornata fuit, tam pauca de Corintho atque aliarum urbium, quas devicit præda sibi retinuit, ut a Senatu, cum ipse non haberet, filia ejus de publico dotem acciperit. *IBID.*

#### SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut jumenta uti quidem possunt stabulo, stramento, feno et tegumentis quibusdam, nec tamen hæc possident ob incapacitatem domini : ita veri pauperes spiritus, uti quidem se bonis posse, non tamen eorum esse dominos credunt. *PLATUS.*, l. II, f. 3.

Sicut pueri, simul ac pomum aut alia recula illis eripitur, flere et conturbari incipiunt, non item viri graves; ita qui in studio virtutis adhuc parvuli existunt, non item viri perfecti, bonis istis creatis per amorem adherent. *RODR.*, p. III, tr. II, c. v.

Sicut statua perinde est, quidquid vestium aut ornamentorum adjectis vel demas, ita verus paupertatis amator contentus est, quidquid ad simplicem usum ei concedatur, vel negetur. *S. IEN.*, p. III, *Const.* §. 7.

Sicut qui domum struit, non hoc spectat,

ne pluvia super ipsam descendat, aut radius ei incumbat, quando istud nulla ope caveri potest; sed qui domus hæc sustinere facile possit : et navim fabricans non hoc agit, ut ne fluctus obturbet et undæ tollantur, sed ut navis compages et latera ad omnia idonea fiant; sic paupertatem fugere non oportet, sed potius studere, ut missa omni sollicitudine, ferendæ paupertati mentem idoneam reddamus. *S. CHRYS.*, hom. LV, in I ad *Corinth.*

Sicut natura in corpore humano, imo et in plantis, tantum duntaxat accipit ex alimento, quantum sufficit ad conservationem et augmentationem viventis; ita gratia quoque, et paupertas tantum præcise de bonis creatis fruuntur, quantum requiritur ad vitam spiritualem animæ conservandam et perficiendam. *ANONYM.*

Sicut is, qui cestual, vestimenta exiit, ut refrigerationem quamdam percipiat; ita qui aestu Divinae charitatis accensus est, abjicit a se, quidquid ad honestatem necessitatemque vite tam corporalis quam spiritualis necessarium non apparet. *IBEM.*

Sicut genuinum se filium minime probat, qui matrem non modo publice confiteri erubescit, sed etiam passim ostendere nostra veretur; ita paupertatis quoque amator censeri non meretur, qui contra eam frequenter peccare audeat, et ejusdem suo tempore effectus experiri non studet. *IBEM.*

Sicut qui personam Pauperis in Comœdia sustineret, inepte ageret, si optimas quasque vestes corporis circumdaret, et marsupium pecuniarum referentem collo suspenderet; ita parum sapienter agit, qui paupertatem professus, omnium rerum, et quidem optimarum abundantiam quaerens, nullum defectum aut inopiam vult pati. *IBEM.*

NECESSITAS. — Sicut ad solium Salomonis non nisi per sex gradus aureos calcatos fuit accessus; ita ad solium in caelo paratum per aureos divitiarum gradus calcatos ascendendum est. *DREX.*, p. II, *R.*, c. IX, §. 3.

Sicut merito rideretur pater, qui filio amenti proprietatem et dominium cultri adimeret, usum vero relinqueret; ita merito quoque risu dignus est Religiosus, qui alienæ pecuniæ dominium abdicaret vel renueret, usum tamen perinde ac dominus retineret. *RODR.*, p. V, tr. II, c. XV.

Sicut malorum omnium radix est inordinata divitiarum cupiditas, atque adeo ante omnia excidendae est; ita omnium bono-

rum fundamentum est paupertas, atque ante omnes virtutes reliquas exercenda. *PLATUS.*, l. I, c. IX.

Sicut nemo gravem habens sarcinam per angustam portam intrare potest, nisi deponat illam; ita nemo per angustam portam regni caelorum intrare poterit, nisi qui inordinatæ affectionis erga divitias sarcinam deposuerit. *MATT.*, VII. 14.

UTILITAS. — Sicut nudus athleta fortius dimicat; natator exiit, ut fluvium transeat; viator, rejectis sarcinulis, bene cursilat; ita paupertatis amator omnia relinquens facilius diabolum sternit; mare hujus mundi felicius transit; et promptius ad patriam caelestem currit. *RODR.*, p. III, tr. VIII, c. I.

Sicut tres juvenes Hebraei non adorantes statuam auream Nabuchodonosoris, in flammis tuti fuerunt; ita et qui auream monetæ statuam non adorant, in flammis afflictionum securi erunt. *S. CAVS.*, hom. XXII, ad *Pop.* Id quod S. Laurentius Justin., ita exprimit : Sicut pueros Babyonicos non incendit ignis, sed dissolvit eorum vincula; sic eorum, qui in camino, paupertatis gratias agunt, solvuntur vincula peccatorum, et incoenduntur paupertatis igne, juxta illud Isaiae « Elegi te in camino paupertatis. » *S. LAUR. JUST.*, c. III de *Lig. vit.*

Sicut si Trapezitæ pro vase aureo aut lapide pretioso centum Philippeos offeras, quem is domi suæ adhuc habet, jam tum vas illud aut lapis tuus est, etiamsi nec dum sit traditus, quippe jam tuo aere coemptus; ita regnum caelorum est pauperis spiritu, qui pro eo, quidquid habet, exposuit. *RODR.*, p. III, tr. III, c. II.

Sicut is, qui prædium aliquod aut oppidum, ex quo copiosus proventus sperat, emere decrevit, libenter majorem partem, aut totam etiam pecuniam pro eo offert; ita qui novit, quantos ex regno caelorum olim possidendo fructus sperare queat, merito omnia sua bona pro eo comparando offert, et Christo in pauperibus distribuit. *MATT.*, XIX, 29.

Sicut Mater Machabeorum adstitit in morte filio, eique, ut fortiter mortem et cruciatu toleraret, mov offerendum præmium in memoriam revocavit; ita paupertas, ut amatores et filii sui ipsos mortis dolores generose sustineant, promissum centuplum et vitam æternam ipsos ante oculos ponit.

ANONYM.

ÆQUITAS. — Sicut milites, quando sciunt

hostem brevi eorum castra aut stationem invasurum, mox omnia corrumpunt, vel alio transportant, ne hostis superveniens opimis spoliis gaudeat; ita et homines morti tamquam hosti certo superventuro per paupertatem subtrahere debent, ne ullum præter vilissimum corpusculum, de nobis spoliolum referat. NIEREMB., in l. *de Ador.*

Sicut, si Rex promitteret, quotidianum victum e cellario suo se præbiturum, jam in futuro confideres, et amplius sollicitus non esses; ita multo magis cum Deus omnia daturum se tibi promiserit, convenit, te ab omni cura et sollicitudine liberum esse; si enim pascit omnem carnem, multo magis sibi dicatos. S. CHRYS., hom. LVII, *ad Pop.*

Sicut pro brevi itinere ne utique longum viaticum conquiratur; ita nec pro vita brevi duratura multas divitias colligere, sed victu et amictu contentum esse oportet. SENECA., in *Ep.*

DIGNITAS. — Sicut ii, qui ad sublimes dignitates ascendere cupiunt, liberaliter opes suas effundunt, modo optatum honorem consequuntur; ita qui Deo simillimus esse cupit (quæ summa hominis est dignitas) libenter omnia sua bona pauperibus distribuit. ANONYM.

Sicut Rex verus est, qui non tam hominum aut opum dominium possidet, sed sui ipsius dominus et Rex est; ita is tandem merito supremam dignitatem consecutus dici debet, qui omnia creata bona generoso animo contemnit, sique facto ipso implet, quod Seneca dixit: Rex est, qui metuit nihil: Rex est, quique cupit nihil: hoc regnum sibi quisque dat.

JUCUNDITAS. — Sicut is qui neque siti gravi, neque bibendi ulla cupiditate tenetur, haud dubie felicior est eo, qui tanta æstuat siti, ut unum poculum post alterum exposceret, nec tamem sitim satiaret; ita non is, qui multas opes possidet et plures semper optat, sed qui omni earum cupidine caret, beatus dicendus est. S. CHRYS., *ap. Roder.*, p. III, tr. III, c. v.

Sicut, qui viam terit, eo felicior, quo levior incedit; ita beator in hoc itinere vivendi erit, qui paupertate se sublevat, non sub divitiarum onere respirat. MINUTIUS FELIX, in *Octavio.*

Sicut qui jucunde et suaviter dormire cupit, omnibus se aut plerisque vestimentis exiit; ita qui vera animi quiete frui desiderat, omni rerum conditarum usu, quous-

que fieri, salva necessitate et honestatis lege, potest, spoliatur. ANONYM.

Sicut infans nunquam securus suavisque, quam in matris dormit sinu; ita homini veram tranquillitatem amanti nunquam melius est, quam cum se in tutissimum paupertatis gremium projecerit. IDEM.

## MOTIVA.

« Equitas : » an non enim æquum est, ut initio et fini vitæ, medium respondeat? atqui nudi ingressi sumus hunc mundum, et nudi egrediemur, quidni ergo nudi quoque, quoad fieri potest, habitemus in eo? An non æquum, ut pro brevi itinere parvum viaticum præparetur? an non æquum ut membrum capiti Christo, qui propter nos egenus factus est conformetur? an non æquum, ut temporalia brevique peritura bona, pro celestibus æternisque bonis infinitis melioribus expendantur et commutentur.

« Utilitas : » quas septem enumerat Plato. l. I, *de Bono status relig.*, c. IX. 4. Quod omnium scelorum ac vitiorum instrumentum tollat, et oppositas virtutes animo inferat, uti testatur S. Chrysostomus, dum ait: Christianus in paupertate magis irradiat, quam in divitiis. Quomodo? quia excludit a se superbiæ typum, non erit arrogans, sed potius obediens, pudicus, mitis et sapiens. Hom. II, in *Ep. ad Hebr.* 2. Quod ad præterita peccata expianda mire conducatur, juxta illud Isaie: Ecce excoci te, sed non quasi argentum: elegi te in camino paupertatis. C. XLVIII, 10. Hinc S. Gregorius, mala, inquit, Lazari purgavit ignis inopia, et bona divitis remuneravit felicitas vitæ præsentis. Illum paupertas afflixit et tersit, istum abundantia remuneravit, et repulit. Hom. IV, in *Evan.* 3. Quod hominem rerum caducarum occupatione liberet; hinc Zenon, teste S. Gregorio Naz. cum in maris tempestate omnia sua projecisset in mare, dixit: Gratias tibi fortuna habeo, quæ me ad Philosophiæ pallium redigis. *Orat.* XLVII, 4. Quod non sinat animum bonis creatis adherescere: hinc S. Gregorius ait, morem Dei esse, ut Electis suis ad se pergentibus hujus mundi iter asperum faciat, ne, dum quisque præsentis vitæ requie quasi amenitate

pascitur, magis eum diu pergere, quam citius pervenire delectet: ne, dum oblectatur in via, obliviscatur quod desiderabat in patria. L. XXIII, *Mor.* I, c. XIV, 5. Quod a Deo admodum gratos atque dilectos, atque adeo variis beneficiis dignos efficiat. Uti S. Bernardus pulchre demonstrat, dum ait: Quam multi nobiles secundum carnem, quam multi potentes, quam multi sapientes hujus sæculi, hora illa in stratis molliibus quiescebant, et nemo eorum dignus habitus est (tempore Nativitatis Christi) novam videre lucem, scire magnum illud gaudium, Angelos audire cantantes. Unde concludit: Si pauperes illos involuntarios tantopere amavit Deus, quanto propensiores amorem voluntariis ostendit. 6. Quod per victus, cultusque tenuitatem, summam vim habeat ad animæ salutem procurandam: cum, teste S. Chrysostomo, sobrietas sit alarum instar, quibus anima facile ad celestia afferretur, eaque per contemplationem attingit. 7. Quod sit optimum medium ad Regnum cælorum obtinendum, utpote cui etiam in hac vita promittitur: MATTH. V, 3. hinc S. Augustinus, magna inquit felicitas Christianorum, quibus datum est, ut paupertatem faciant pretium Regni cælestis. S. XXVIII, *de Verb. Apost. super.* S. Thomas paulo aliter septem utilitates, veluti septemplex ostia Nili, assignat, scilicet peccatorum recognitionem, virtutum conservationem, cordis quietem, desiderii impletionem, spiritualium bonorum dulcedinem, meritorum exaltationem, et celestem hereditatem. ISAIAM, XLVIII, in fin.

« Dignitas : » quam quidem breviter, sed solide Platus ex regni promissi conditione deducit, dum ait: Quæ enim divitiæ, aut regna ei comparantur? nam regna, ut grandia sint, certa orbis parte definiuntur, paupertatis autem regnum nullis terminis clauditur, et eo ipso, quod nihil habet, omnia possidet. Totum enim positum est in animo, qui possidere non potest, nisi dominetur; non potest autem dominari, nisi sit superior. Itaque quanto superior, tanto verior dominus ac possessor. L. II, *de bono stat Relig.* Accedit, quod nihil adeo similem Christo, et ipsi Deo efficiat, ac paupertas; hinc merito a S. Paulo « Altissima » vocatur, dum ait: Altissima paupertas eorum abundavit in divitiis simplicitatis eorum. II Cor., VIII. Et S. Gregorius pauperibus applicat illud S. Davidis: Nimis honorifi-

cati sunt amici tui Deus: nimis confortatus est principatus eorum. Ps. CXXXVIII, 7.

« Jucunditas : » quæ quidem ex triplici capite oritur. 1. Ex « sanitatis » conservatione, quam uti abundantia ciborum ac potus plurimum destruit, ita frugalitas mire conservat ac proficit, ipsa experientia teste; quid autem jucundius sanitate, sine qua omnis deliciarum dulcedo amara est? 2. Ex delectatione « victus : » nam, ut sapienter S. Chrysostomus advertit, delectationem in convivio, non ciborum natura, sed ipsorum hominum dispositio facit: quia cum quispiam esuriens ad mensam accedit, quicumque sit cibus, etiamsi vulgaris, jucundior videbitur, quam quodvis obsonium innumeris illecebris conditum. At vero, qui necessitatem et famem præveniunt, ut solent divites, etiamsi nobiles epulas viderint appositas, nullam sentient suavitatem, languente videlicet appetitu. Hom. II, *ad Pop.* Nimirum, ut ipse Solomon recte agnovit, anima saturata calcavit favum, et anima esuriens etiam amarum pro dulci sumet, *Prov.*, XXVII, 7. Hinc David dixit: Et ex petra melle saturavit eos, *Psal.* LXXX, 17, quia scilicet tunc sitientibus Judæis aquæ ex petra eductæ, melle dulciores videbantur. 3. « Ex animi » tranquillitate, ac gaudii: quod enim divitiæ per tot anfractus, totque labores, tanta rerum varietate inquirunt, nempe animi fructum et gaudium, hoc paupertas sine molestiis, quasi fructum sine cortice obtinet, utpote quæ tam contenta est nihil habendo, quam divites multa possidendo. Quomobrem, egregie S. Chrysostomus paupertatem caminum vocat, in quo miraculum trium puerorum, quos in fornace non modo flamma non contingit, sed etiam aura quedam mediis in ignibus refrigerabat; nam per se quidem paupertatem ignem esse acrem et molestum, sed tamen, si quis in eam se voluntarie conjiciat, et in ea Deo gratias agat, ejus vincula dissolvi, flammam extingui, aut si non extingatur, quod multo mirabilius est, pro flamma rorem sentiri; maximum enim rorem, et ad animam recreandam aptissimum esse, non teneri divitiarum concupiscentia. Hom. IV, in *Math.* Neque enim, ut recte Beotius dixit, felicitas et beatitudo in possessione magnarum opum, sed in desiderio eorum consistit. Hinc merito exclamavit S. Laurentius Justinianus: O beata paupertas voluntaria nihil in hoc sæculo

posidens, nihil formidans, quoniam omnem thesaurum suum recondit in cœlo, semper hilaris, semper abundans est, et, cum nihil habeat, omnia sibi facit communia, omne incommodum suo facit profectui deservire. Nemo recte ni expertus percipere sufficit, quam amabilia, quam dulcia, quamve pretiosa sint, quæ largitur Deus in iis, qui ipsius amore suis sibi que renuntiant. *Opus. de Monast. conversat.*

« Securitas : » quam quidem eloquentur S. Chrysostomus depinxit, dicens : Quemadmodum inter animantia cervus et lepus ob innatam sibi timiditatem maxime cæteris sunt obnoxia, suis autem, et taurus, et leo, haud facile in potestatem insidiatoris cadit, tale videre quiddam in divitum et pauperum gente licet. Hic leoni, et tauro similis est : ille lepori et cervo. Quid enim non metuit dives? an non latrones, an non potentes, an non invidos, an non calumniatores : et quid latrones aut calumniatores dico? familiares suos suspectos habet; aut quidem vivens dico, quando ne mortuus quidem grassantium improbitate liber est, et ne mors quidem ipsa tutari prorsus divitiis cadaver potest, quin scelerasti homines expillent? E contrario cantat securus coram latrone (quidni etiam quovis alio?) viator. Et quemadmodum avicula caveæ grandiori inclusa, securus est ab accipitris, id est, insidiantium inimicorum impetu ac violentia. *Hom. xxxv, in I Corinth.*

#### MEDIA.

« Amor Dei : » ut enim, qui æstant, ultra vestimenta abiciunt; ita et ii, qui amoris divini æstu correpti sunt, ultra exuunt se amore omnium rerum creaturarum, et cum S. Paulo ea, quæ ante hæc fuerunt lucra, detrimentum faciunt et arbitrantur ut stercora, ut Christum lucrifaciant. *PHILIP., III, 8.*

« Desiderium bonorum cœlestium : » hoc enim facit exclamare cum S. Augustino : Servas tu mihi in cœlo, o Domine, divitias immortales, nimirum teipsum, et ego volui a te in terra, quod habent et impii, quod habent et mali, quod habent et facinorosi, pecuniam, aurum et argentum, gemmas, familias, quod habent et scelerati multi,

quod habent multæ femine turpes, multi viri turpes. Hæc pro magno desideravi a Deo meo supra terram, cum serves te mihi in cœlo, Deus meus. *S. AUG., in Ps. LXXXV.*

« Firma in Deum fiducia : » nam, ut recte Jacobus Alvarez advertit, homo supra communem modum Deo fidens, rerum temporalium meminisse, aut de illis curare erubescit. Et sicut B. Agatha medicinam carnalem suo corpori numquam adhibuit, spem suam in illo collocans, qui solo sermone restaurat universa; ita et perfecta pauper vix temporalia respicit, ab eo solo pendere volens, quem sæpissime expertus est Patrem, et in necessitatibus fidelissimum provisorum. *JAC. ALV., tom. II, l. V, p. I, c. 1.* Hinc recte S. Ephrem : « Si credis ait, te accepturum æterna illa, omnisque corruptionis expertia bona, quanto magis fugacia ista, atque terrena accipies, quæ Deus etiam feris concessit, atque volucris, et impis hominibus. *S. EPHREM, de Fide.*

« Sui ipsius perfecta oblatio : » quo medio Cassianus monachos sui temporis usos fuisse testatur, utpote qui non solum seipsum non esse suos, sed etiam omnia, quæ sua essent, credebant Domino consecrata : propter quod, si quid fuisset monasterio semel illatum, ut sacrosanctum, cum omni decernebant reverentia, quantumvis parvum ac vile, debere tractari. *L. IV, de Inst. con.*

« Certis temporibus ad Superiorem deferre » reulas suas, iisque penitus, se spoliare : uti P. Petrum Fabrum fecisse supra dictum est, et in Ordine S. Hieronymi olim religiose facilitatum fuisse, ejusdem Annales testantur, dum, si quis rei superflue aut curiosæ minusve religiosæ possessore comperiret, omnes conveniebant, pyraque excitata, rem illam quasi anathema exurebant. *Chron. S. Hier., c. XLIII.*

« Rationem finis semper ob oculos habere : » ita S. Ignatius suasit, et S. Basilus, qui semper illa verba Apostoli : Habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus : ait : Alimenta, non oblectamenta, quibus tegamur, non quibus honoremur, petenda sunt. *S. BASIL., apud Rodr., p. III, tr. III, c. vi.*

« Præmi consideratio : » nam, ut S. Gregorius recte dixit : Si consideremus, quæ et quanta sint, quæ nobis promittuntur in cœlis, vilescunt omnia animo, quæ habentur in terris. Terrena namque substantia, supernæ felicitati comparata pondus est, non

subsidium. Temporalis vita æternæ vitæ comparata mors est potius dicenda, quam vita. *S. GREG., hom. XXVII, Evang.*

#### ASCETICA.

Octo fere sunt capita, quæ a Religioso circa paupertatem specialiter sunt observanda, aliisque inculcanda. Primum est, ut norit bene discrimen inter paupertatem « involuntariam, » seu non libere assumptam, quamvis vel casus, vel necessitas affert : et « voluntariam, » quæ libere asciscitur, utroque ac libenter sustinetur, atque etiam oblatas divitias, et ipsos auri montes quasi stercora arbitratur, et abominatur : quæ quidem triplici ex titulo priorem longe antecedit. *PLAUTUS, l. II, c. III, 1.* Quia prior, cum voluntarie non suscipiatur, atque externis prematur incommodis, nullis vero commodis recreatur, vulgo ignobilis, sordida, odiosa, nullaque laude digna nabetur; posterior vero eo ipso, quod omnia libere et generose contemnit, omnibus eminet, et quæ pedibus spernendo conterit, eisdem eminando, copiosius possidet. 2. Quia cum priore conjunctum est habendi desiderium ex quo nascitur, tum studium quærendi, tum si non suppetat, quod queritur, angor, mæror, et sollicitudo; a posteriore vero non modo absunt dictæ perturbaciones, sed ne sentitur quidem inopia, quoniam amatur, et expetit, atque adeo in ea animus quasi in omnium rerum abundantia ac copia acquiescit. 3. Quia prior caret presidio illo singulari, quo posterior gaudet, scilicet singulari fiducia de Dei cura, ac providentia, ob singularem ejus promissionem, ex quo summam jucunditatem oriri necesse est; nam qui se summo illi Regi Regum tantæ curæ esse intelligit, ejusque curæ quotidiana judicia accipit, cur non ei hoc dulcius, quam omnes divitiæ, accidat. *IDEM., l. III, c. VIII.*

Alterum est, ut bene cognoscat naturam paupertatis voluntariæ, seu « spiritus, ut vocant, quod nempe tria ad illam capita requirantur. 1. « Affectus » seu voluntas relinquendi, qui quidem, ut S. Ambrosius recte advertit, divitem collationem aut pauperem facit, et pretium rebus imponit. *I Offic., c. xxx. 2.* « Effectus, » seu actualis relicto, quam Christus illis verbis requisivit : Si vis

perfectus esse, vade, vende, quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo, et veni, sequere me. *MATTH., XIX, 12.* 3. « Intentio, » quæ ejusmodi bona propter Dei et virtutis amorem relinquatur; nam, ut recte S. Basilus ait : Hi sunt mendici spiritu, qui non aliam ullam ob causam ad mendicitatem devenerunt, quam ob doctrinam Domini, qui dixit : Vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus. *REG. BREV., 295.* Quod ipsum egregie S. Bernardus confirmavit, dicens : Nec voluntaria quidem paupertas omnis habet laudem apud Deum, nam et Philosophi omnia sua reliquisse leguntur, ut expediti mundialibus curis studio vanitatis possent vacare liberius, et nolebant censu abundare terreno, ut abundarent magis in suo. Hoc discernit, quod dictum est, « in Spiritu, » id est, spirituali intentione, desiderio spirituali propter solum beneplacitum Dei, et animarum salutem. *S. I, in Festo OO. SS.*

Tertium est, ut convenientem de hac virtute æstimationem concipiat, commodaque ab ea oriri solita bene percipiat, quam quidem æstimationem vix facilius obtinebit, quam si paupertatem ut matrem sibi imagineatur. Vere enim omnia matris officia perfectissimo modo erga Religiosum illa exaravit, et exercet. *Nam 1.* Illa vere cum Christo et Religioni genuit cum propter Christi consilium, de paupertate arripienda datum, Religionem potissimum ingressus sit. 2. Vere ait illum et majori cum sollicitudine et charitate, quam ulla mater filium suum lactet, et nutriat. 3. Etiam honestissime educat ut mater, ut jam olim ipsi etiam Ethnici agnovissent, dum paupertatem magistrum morum, et consanguineam virtutum appellaverunt. Hinc et Seneca dixit : « Si vis vacare animo, aut pauper sis oportet, aut pauperi similis. » 4. Ut mater in sinum suum nos recipit, atque ob omnibus insidiis hostium defendit, dum *meum, ac tuum, radicem omnium vitiorum et quidquid est malorum in orbem invehens, tollit.* Hinc S. Ignatius paupertatem pro firmissimo Religionis muro habendam dixit. Sed et S. Clara dicere suis est solita, tum demum suum monasterium firmum, ac stabile futurum, si propugnaculis, ac mœnibus paupertatis quam maxime munietur. 5. Ut mater hæreditatem Regni cœlestis procurat : quæ enim major aut optatior hæreditas expectari potest, quam centuplum in hac vita, et post hanc ipsa vita

æterna; atqui hanc pauperibus spiritu Christus sæpius promisit, ut adeo merito quivis paupertatis amator dicere cum S. Davide queat: Funes (charitatis, quibus paupertas me sibi devinxit) ceciderunt mihi in præclaris: etenim hæreditas mea præclara est mihi. 6. Ut mater, in ipsa morte fideliter assistit, et multo efficacius filios suos, quam olim mater Machabeorum, alloquitur, animatque dicens: Fili mi, miserere mei, quæ te novem mensibus (imo pluribus annis) in utero portavi, et lac triennio, et amplius, dedi, et in ætatem istam perduxit. Peto, nate, ut aspicias ad cælum, et ad terram, et ad omnia, quæ in eis sunt, sic fiet, ut non timeas carnificem istum (mortem, vel demones in morte tentantes) sed dignus fratribus tuis effectus suscipere mortem, ut in illa miseratione cum fratribus tuis te recipiam. Ita sane expertus est P. Joannes Gerardinus, qui in agone dixit: Non timeo mortem, quia syngrapham habeo a Christo duplici sigillo munitam, quæ cælum mihi promittitur. *Annus dier. mem. soc.*, 42 jan. 1606. Amen dico vobis quam voculam per sibillum intelligebat quod vos, qui secuti estis me; et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit. *MATT.*, c. XIX, 28.

Quartum est, ut bene intelligat, doceatque præcipua officia et actus paupertatis, qui quidem convenientissime per officium filii explicantur. Itaque 1. Ut filius diligenter caveat, ne matrem suam ulla ratione lædat id est, ne quidquam accipiat, det, mutuet, aut alio quovis modo disponat, sine consensu tacito, vel expresso Superiorum. 2. Ut filius suam matrem suam magnopere veneretur, nec ipsam confiteri talem erubescat, quod fiet, si omnia superflua studiosè abiciat, vilissima quæque eligat, et suo tempore per meditationem necessaria petere, aut alios similes paupertatis effectus experiri non horreat, aut erubescat. 3. Ut filius magna cum fiducia in periculis et necessitatibus ad matrem suam confugiat, id est, recordatione paupertatis voluntarie susceptæ se soletur, et tentationes vel ex inordinata concupiscentia, aut inordinato timore exortas superare conetur. Certe eam esse efficacissimum medium ad ejusmodi tentationes superandas, pulchre pius Aesceta sequentibus verbis os-

tendit: Ad hoc conare, hoc ora, hoc desiderare, ut ab omni proprietate possis expoliari et nudus, nudum Jesum sequi, tibi mori, et mihi æternaliter vivere. Tunc deficient omnes vanaphantasiæ, conturbationes iniquæ, et curæ superfluæ. Tunc etiam recedit immoderatus timor, et inordinatus homo morietur. L. II, *de Imit.*, c. XXXVII, § 3. 4. Ut filius lac maternum, omnibus aliis alimentis præferat, id est, eo victu aliisque rebus, quas ad quotidianas necessitates paupertatis suæ domus, aut monasterii offert, contentissimus vivat magisque his delactetur, quam ullus dives pretiosis suis rebus, quas possidet, quemadmodum supra dictum est, S. Franciscum fecisse, dum frustula panis emendicati ad divitum mensas invitatus probebat, omnibusque aliis mense deliciis præferat. 6. Ut filius abjecta omni sollicitudine totum se providentiæ curæque matris suæ commendet, certoque sibi persuadeat, melius sibi ab ipsa, quam per quamcumque suam industriam prospectum iri. Dicit proinde ad hanc matrem suam, quod pius Aesceta ad Deum dixit: Domina mater mea, major est sollicitudo tua pro me, quam omnis cura, quam ego gerere possum pro me. Nimis enim casualiter stat, qui non proicit omnem suam sollicitudinem in te: dummodo voluntas mea firma et recta ad te permaneat, fac de me, quidquid tibi placebit. Non enim potest esse, nisi bonum quidquid de me feceris. L. III, *de Imit.*, c. XXXVII, § 4. Hunc certe ob finem S. Franciscus suos filios abeuntes non alio viatico instruxit: Jaeta cogitatum tuum in Domino (et matre paupertate) et ipse te enutriet: nam matrem quidem paupertatem habemus, sed patrem admodum divitem.

Quintum est, ut bene norit præcipua « impedimenta » paupertatis, modumque solidum eadem removendi, quorum quidem tria sunt potissima. Primum est metus doloris orituri ex divitiarum nimis amatarum strictæque nimis adhærentium separatione; contra quem proinde se armet meliorum divitiarum, quas paupertas promittit, recordatione, ad exemplum primorum Christianorum, de quibus S. Paulus dixit: Rapinam honorum vestrorum cum gaudio suscepistis cognoscentes vos habere meliorem et mentem substantiam. *HEB.*, x, 34. Meminerit item quanto melius et tranquillius finem quem alii per divitiarum possessionem quaerunt, scilicet ut bene et jucunde vivant, ipse

per contemptum divitiarum, et amorem paupertatis obtineat. Quam facile item eadem divitiæ, aut per violentiam, aut fraudem hominum, aut casum infortunatum, aut ipsam mortem adimantur; an non ergo præstat nunc cum modico dolore, non tamen modico fructu dimittere, quod olim summo dolore, minimoque emolumento dimitendum esset. Secundum impedimentum est timor incommo-  
dorum, et defectus rerum pro vita conservanda necessariorum: quod tamen facile removebitur, si meminerit, se per electionem paupertatis Deo omnem curam sui commississe; de quo merito illa sibi Kempensis Thomæ verba applicare poterit: Cum Christum haberis, dives es, et sufficit tibi. Ipse erit provisor tuus et fidelis procurator in omnibus, ut non sit opus in hominibus sperare. L. II, c. 1, § 2. Certe non minus cuius paupertatis amatori, quam olim Apostolis dixit idem Christus: « Quando misisti vos sine sacculo et pera, et calcæamentis, numquid aliquid defuit vobis. » *LUC.*, XXII, 35. Tertium impedimentum est metus confusionis, ex nuditate hac spirituali, seu paupertatis exercitio orituri, sed et hoc non difficile removebit, qui meminisse voluerit, quantopere per hanc nuditatem placeat Deo, Sanctis, et omnibus justis, ob generosum adeo divitiarum contemptum, quorum proinde judicium et commendatio merito omnes calumniantium, aut murmurantium contemptus, aut irrisiones elidet. Adde, quod et ipsi, qui exterius contemnunt, non possint non interius approbare et æstimare tam nobilem animum, generose adeo hac infima spernentem et conculcantem; imo et publicæ quoque suo tempore collaudabunt.

Sextum est, ut pariter bene addiscat, præcipua adjumenta ad virtutis hujus perfectionem obtinendam, quæ quidem fere coincidunt cum iis, quibus ad nuditatem corporalem procurandam impellimur. Quinque enim casus potissimum reperiuntur, in quibus homines vestimenta sua exuunt, atque adeo seipsos aut sponte denudant, aut ab aliis denudantur. Primus est, quando vestes novas aut meliores quis assumit; quidni ergo libenter quoque amorem et possessionem temporalium bonorum exuat, abdicetque, ut meliorem celestium bonorum amorem possessionemque pro eo accipiat? Secundus est, quando calore solis accensi aestuant. Id quod ingeniose antiqui per fictitium certamen Solis, et Aquilonis, et quo

contendebant, quis eorum majoribus esset viribus præditus, expererunt; cum enim communi consensu conventum esset, ut vis tandem viribus superior censendus, qui viatori tunc casu transeuntis pallium citius eriperet: Aquilo autem toto quidem impetu flare, furereque inciperet, sed aliud nihil efficeret, quam ut viator pallium strictius sibi applicaret: Sol paulatim radios suos, suaviterque in tergum ejusdem viatoris immittens hand difficulter obtinuit, ut pallium caloris declinandi gratia ultro abjiceret, sicque eadem opera victor declararetur. Quanto magis ergo hæc vis multo efficacioribus Divinæ charitatis radiis in pectus hominis evivaciter concedenda erit! Tertius casus est, quando quiscescere aut dormire in lecto volunt; quis autem nescit, veram et unicam animi quietem, per paupertatem, et additionem temporalium bonorum haberi? Quartus casus est, quando balneum adire volunt, quod autem balneum salubrius et optatius homini offerri potest quam vulnereum sanguinem suum amore nostri dimisit, an non plurimum excitabitur ad temporalia saltem bona amore Christi relinquenda. Quintus casus est, quando quis cruci affigendus est; cum ergo religiosus quoque amore Christi crucifixus sit, ejusque discipulis ac imitator esse cupiat, an non vel hoc titulo etiam se sponte denudabit, atque omnem rerum creaturarum amorem et affectum exuet ut Christo similior efficiatur?

Ut bene norit obligationes, quas contrahit quis ratione voti paupertatis, quales quidem sequentes numerantur a Rodríguez et aliis. 1. Ut nullam rem temporalem possideat, aut de ea ullo modo disponat. 2. Ut neque ab externis, puta parentibus, vel amicis, quidquam, Superiore inconsulto, accipere, aut disponere possit. 3. Ut de viatico accepto nihil pro se, aut aliis emat. 4. Ut, si quid vestium aut similiarum rerum offeratur, in commune vestiarum inferri curet, nisi Superior aliter disponat. 5. Ut, si quod depositum apud Superiorem pro certo usu habeat, nihil pro se aut alio in alios usus accipiat. 6. Ut nihil commode, aut mutuet sine facultate. 7. Ut sine Superioris consensu nullum ullius externi depositum servet. 8. Ut nihil secum auferat, si alio migrat, Superiore non consentiente.

9. Ut nihil in res superfluas, vanas, illicitas, etiam cum consensu Superioris erogat.  
10. Ut nihil absconditum habeat. 11. Ut ea, quæ ipsius dispositioni commissa sunt, non suo, sed Superiori arbitrio nutuque distribuat. 12. Ut res sibi ad usum vel dispositionem concessas diligenter custodiat, nec sua culpa quiquam interire sinat. 13. Ut in morbo extraordinarias medicinas aut refoecillationes non expetat, vel adhibeat.

Octava est, ut dubia quædam in materia occurrentia, recte solvere queat. Quorum primum est, an tacitus Superioris consensus sufficiat ad aliquid dandum, vel accipiendum? ad quod dubium respondebit, sufficere quidem illum ex communi Theologorum sententia, sed rectius facturum Religiosum, si, quam rarissime potest, eo utatur, sed potius tum propter exercitium humilitatis, tum propter alias graves rationes, expressum consensum petere assuescat. Secundum dubium est, quando tacitus consensus Superiorum præsumi possit? ad quod dubium respondebit cum Ferdinando de Castro Palao et aliis, sequentia signa tacite licentiæ a probatis Theologis agnoscere. 1. Si Superior det licentiam peregrinandi nec prohibeat aliquid recipere, et recepta expendere, hoc ipso censetur dare facultatem tacitam accipiendi, et expendendi ea, quæ in itinere dantur. 2. Si consuetudo aliqua introducta sit, quam Superior conscius non tollit; aut si ipse Superior videat acceptationem vel donationem, et non contradicat, cum facile possit. 3. Si Superior sit vir valde dulcis, et non rigidus, aut difficilis. Aut si subditus sit Superiori valde dilectus, vel vir magnæ auctoritatis; aut si res, qui accipiuntur, sint levioris momenti: aut si dispensatio alicujus rei seu licentiæ in bonum monasterii notabile cedat. Tertium dubium est, an religiosus contra perfectionem paupertatis faciat, si minuscula sacra eo nomine tituloque retineat, ut vel benemeritos præmiare, vel aliorum voluntatem adjuvare, vel devotionem in aliis promovere queat? ad quod dubium respondebit cum P. Alphonso Rodriguez, id omnino etiam dissuaderi a S. Bonaventura, tum quia cor hominis varie afficiunt, et distrahent: tum quia materiam sermonum præbent: tum quia facile sine licentiâ accipiuntur, et dantur, atque adeo scrupulos generant: tum quia privatas amicitias et familiaritates nutriunt: nihilominus tamen

si interdum ob ministeria, quibus quis fungitur, iisdem opus habeat, posse cum Superiorum præscitu retineri, modo nec nimia, nec pretiosa sint. Quartum dubium est, an licitum sit, a parentibus vel amicis stipem aut elemosinam petere pro Breviario vel veste paranda aut emenda? ad quod dubium respondebit, hæc in re attendendam esse Religionis, cui quis adscriptus est, consuetudinem; si enim in ea passim fiat, nec Superiores scientes contradicant, ut in Societate Jesu et aliis quibusdam Ordinibus contingit. Quintum dubium est, an liceat ab alio pecuniam vel simile quid accipere, quod vel in pauperes ipsorum nomine distribuat, vel satisfactionis nomine restituat? ad quod dubium respondebit; si ita datur talis pecunia, ut certe personæ detur, non peccaturum quem contra votum paupertatis, quia nihil distribuit proprio arbitrio; si vero ita accipiat, ut liberum ei sit, his vel illis dare, tum omnino contra votum facturum, si accipiat sine facultate, cum neque proprietas, nec usus illius rei independens a Superiore, cuiquam paupertatis voto obstructo conveniat. Et præterea, grævia ex tali distributione incommoda oriri soleant. Sextum dubium est, an contra votum paupertatis peccet, qui, Superiore inscio, pecuniam, aliamve stipem in gratiam et subsidium alicujus propinqui aut alterius hominis rogat offerri? ad quod dubium respondebit cum eodem Rodriguez, si ipse quoque accipiat eam stipem, et illius dominus fiat, et amico porrigat, omnino eum peccare, secus si non accipiat, sed tantum roget, ut alter in ipsius gratiam, talem ei pecuniam vel stipem offerat. Recte tamen monet idem Rodriguez, multa, nec contemnenda incommoda fere ejusmodi petitionem comitari, et plerumque subesse aliquid periculi, ne si alieno nomine distribuamus, potius nostro offeramus. Ron., l. I, c. xiv.

#### CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis: « Ecce Mater tua: » JOAN., xix, 27, potest ostendi, quam perfecte paupertas matris officium erga suos amatores exerceat, quam tenero proinde affectu diligenda sit. Quem in finem ea, quæ § proxime præced. n. 3, dicta sunt servare possunt.

Ex occasione thematis: « Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ ejus: » TOB., iv, 4, potest ostendi, quomodo filiorum proprietates implere debeat verus amator paupertatis, juxta ea, quæ § proxime præced., n. 4, sunt, dicta.

Ex occasione thematis: « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum celorum: » potest ostendi, statum horum pauperum esse felicissimum in orbe, ob tres rationes. 1. Quia sunt jucundissimi « ante mortem, » tum propter delicias corporales, quas ex sanitate, somno, et victu copiosiores, percipiunt; tum propter bonam conscientiam (quæ est jure convivium) et nihil habendi voluntatem quæ est mater internæ lætitiæ ac quietis. 2. « In morte, » quia carent tribus potissimum causis, ex quibus timor mortis, et acerbitas oritur, scilicet amor bonorum temporalium, quæ tunc sunt relinquenda: metus reddendæ rationis, præcipue de administratione bonorum: diabolorum impugnantium multitudo ac ferocia, a quibus omnibus vel maxime liberum esse verum paupertatis amatorem, haud difficulter ex dictis hætenus probari potest. 3. « Post mortem, » quia gloria celestis fruatur citius, (dum Martyris instar liberabitur a purgatorio) et copiosius ob liberalitatem insignem; quia omnia sua propter Deum dereliquit.

Ex occasione thematis: « Centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit: » MATT., i, 29, potest ostendi præmium paupertatis per varias interpretationem centupli, sed triplicem potissimum, quarum prima est S. Petri Damiani per centuplum consolationes spirituales, et visitationes intelligentis, uti ex § 3. n. 53, videre est. Secunda S. Hieronymi per centuplum spiritualia bona intelligentis, qua comparatione et merito sui ita erunt quasi si parvo numero numerus centenarius compararetur. JAC., xv, t. II, l. V, p. I, c. xii. Tertia est Cassiani, qui etiam de rebus ipsis temporalibus relictis, et centies iterum recuperatis explicat, ut videre est apud Jacobum Alvarez loco citato, et apud Rodriguez, p. III, tr. iii, c. iii.

Ex occasione thematis: « Ego murus, ubera mea sicut turris, ex quo facta sum et coram eo quasi pacem reperiens. CANT., viii, 10. Potest ostendi, quam firmus et solidus sit murus ipsa paupertas. 1. Quia primum est inter tres muros volorum religio-

rum, atque adeo fortissimus esse debet ad impetus adversariorum sustinendos. 2. Quia solidissimus est, utpote omnia adversariorum tela, quæ potissimum ex meo et tuo seu inordinata concupiscentia rerum temporalium oriuntur, obtundens et repellens. 3. Quia ipsis defensoribus aptissimus est, et facilissimus ad defendendum, ob plurima eaque valde efficacia media, ad paupertatem conservandam, a Religione quavis offerri solita.

Ex occasione thematis: « Nudus egressus sum de utero matris meæ, et nudus revertar illuc: » potest 1. Natura paupertatis per nuditatem spirituales, id est, abdicatorem omnis affectus inordinati erga divitias, aliaque bona temporalia explicari. 2. Proponi motiva, ob quæ hanc nuditatem spirituales libenter assumere et procurare debeamus, quæ quidem, jam breviter indicata et explicata sunt.

Ex occasione thematis: « Quis, putas est fidelis dispensator et prudens: LUC., xii, 43, potest verus paupertatis amator tali dispensatori comparari. Et 1. quidem ostendi, quod vere sit « fidelis » dispensator, eo quod nihil accipiat, det, aut ullo modo disponat, sine Superioris (et consequenter Dei, quem in illo agnoscit, et reveretur, et consensu et voluntate) imo in omni horum bonorum commissorum usu et dispositione solam Domini sui utilitatem extrinsecam id est, gloriam et honorem quærat. 2. Ostendi potest, quam vere etiam sit prudens dispensator, quia meminit diligenter finis, propter quem ei talia bona a Deo commissa sunt, atque adeo ad eundem ipsam etiam dispensationem et usum sapienter ordinat, secus ac perique mortalium, qui ejusmodi bonis cum grandi injuria et displicentia domini sui abutuntur. 3. Ostendi pariter potest, quam liberalem proin a domino suo mercedem merito sperare possit, dum scilicet eum super omnia sua bona constituet, id est, seipsam possidendum, ac fruendum dabit, in quo omnia bona in summo gradu conjuncta reperiet.

Ex occasione thematis: « Si separaverit pretiosum a villi, quasi os meum eris. » JER., xv, 19, excitari possunt auditores ad vilissimam ubique eligenda. Et in prima quidem parte ostendi, quomodo debet vilissima eligere in victu, vestitu, habitatione, officiis, talentis naturalibus, æstimatione et venera-

tione hominum. 2. Ostendi potest, quam grande præmium ob talem electionem sperari possit, ut scilicet sit quasi « os Christi, » id est, illi undequaque similis, ita ut qui talem hominem intuetur, ipsum os Christi intueri se credat, cum vero hæc vilissima in omnibus ante enumeratis capitibus elegerit. Quod autem præmium grandius expectari vel optari possit, quam Christo similem fieri? 3. Ostendatur, quæ potissimum sit causa, cur tantopere vilia horreant, fugiantque mortales, nimirum quia pretium eorum et ingentia commoda non perpendunt: explicetur proin hoc pretium, tum ab auctoritate Christi et Sanctorum, tum ex privilegiis, quæ vilissima res habent præ pretiosis, quia scilicet facilius obtinentur, securius et sine invidia possidentur, sine labore conservantur, sine dolore amittuntur, et copiosius a Deo præmiantur.

Ex occasione thematis: « Nolite vobis thesaurizare thesauros in terra » MATTH., VI, 19, ostendi potest per paupertatem thesaurum omnium thesaurorum pretiosissimum possideri, quia quidquid alii per divitias suas querunt, per eam longe præstantius et copiosius inventur, id quod per partes probandum est. 1. Ergo ostendatur, quod per paupertatem « necessaria » ad vitam conservandam melius obtineatur, cum pauperes spiritu vere Deum ipsum provisorem habeant, atque adeo non sit inopia timentibus atque amantibus ipsum futura, juxta certum S. Davidis oraculum: Divites igitur esuriant, et esuriantem autem Dominum non deficient omni bono. 2. Quod etiam delectatio per paupertatem longe copiosius obtineatur, uti fuse ostendit Hieronymus Platus de bono statu Religiosi, et ex eodem supra § 9, n. 3. indicatum est. 4. Quod etiam æterna mansio, eaque omni bonorum genere effluens comparetur per paupertatem, quod per divitias temporales obtineri non potest, nisi ad imitationem paupertatis spernantur, et pro Deo expendantur.

Ex occasione thematis: « Ecce jam triduo sustinent me, nec habent, quod manducent: » proponi et explicari possunt solatia pauperum involuntariorum, eaque si videantur, ad pauperes voluntarios applicari. Primum est exemplum Christi, qui de seipso per Prophetam dixit: Ego vero egenus et pauper sum. Secundum est voluntas Dei, qui dividit omnibus prout vult, et prout quique utilis videtur. Tertium est expecta-

tio futuræ felicitatis, quam ipsi plus quam alii sperare possunt. Quartum securitas in morte, ob facilitatem reddendæ rationis. Quæ omnia fusius apud Fabrum *Dom. 6, post Pent., c. vi, n. 1* explicata videri possunt.

Ex occasione ejusdem thematis ostendi potest, quomodo pauperes si alii velint a Christo, ipsum per triduum sequi debeant scilicet. 1. Per « fidem, » credendo firmiter, Deum « posse » juvare, et alere, ut Israelitas, Eremitas, imo et tot animantes hactenus aluit. 2. Per « spem, » persuadendo sibi certo, quod « velit » etiam juvare, ut qui ipse toties ad sollicitudinem in ipso ponendam est hortatus. 3. Per « charitatem, » reddendo se capaces, et in filiorum aut etiam amicorum et sponsarum fidelium statu constituendo; quis enim credat, Deum fidelibus suis amicis, sponsis, filiis necessaria non concessurum?

Ex occasione thematis: « Pauperes semper habebitis vobiscum: » potest ostendi, cur Deus tot pauperes in hoc mundo vivere permittat, nempe. 1. Ad suam gloriam, quæ non parum crescit ex eo, quod tot pauperes tam liberaliter alat. 2. Ad humani generis conservationem: quod ingens detrimentum tam in ordine ad corporis, quam animæ vitam conservandam detrimentum pateretur, si omnes divites essent, et nemo alteri subesse vellet. 3. Ad remedium divitum: ut vulnera per spinas divitiarum contracta per eleemosynas curare possint. 4. Ad bonum ipsorummet pauperum; ut fusius ostendit Fab. conc. IV, in *Dom. 2 Adventus*.

#### ALII CONCEPTUS.

UTILITAS. — Nescio, an aliquando advertitis, quod, quando S. Petrus coram Christo solemniter protestabatur, dicens: « Ecce nos reliquimus omnia » ab eodem Redemptore nostro appellatus fuerit « Barjona, » quod idem est, ac filius columbæ. Enim vero columba animæ puræ est symbolum, non solum propter candorem suum, verum etiam propter perniciosissimum volatum, quo modo anima viri pauperis perniciosissimo volatu in cælum contendit. S. Hieron. ad Exuperantium de S. Petro Barjona appellato ita scribit: Quasi diceret, quia omnibus jam nudus, velocior columba vo-

lare poteris ad me, nudus, et levis ad cælum evola, ne alas virtutum tuarum auri depriment pondera; elementa enim, quæ natura sua gravia sunt, deorsum semper tendunt. S. Hieronymus de *Utilitate paupertatis* c. XX, ita scribit: Elementa levia sursum tendunt, sic et fratres, qui se omnibus perfecte nudant, libere cælos petunt. MANSI, c. V, n. 3.

Ex libro quarto Regum constat, quod, dum Elias in curru igneo raperetur in cælum, deorsum cadere suum permisit pallium. Sed cur id factum esse arbitraris? Num forte timebat, ne ab igne combureretur? Nequaquam, idem namque periculum aliis suis metuere poterat vestimentis. Pallium igitur Eliæ onus designat bonorum terræ hujus, quod non solum in effectu, verum etiam in affectu deponendum est illi, qui in cælum evolare cogitat. Unde S. Hieronymus ait: « Elias ad cælorum regna festinans, non potest ire cum pallio, sed mundo immundum vestimentum demittit. » S. Hier., ep. XXIV. B. Laurentius Justinianus hactenus adducta confirmat, inquires: « Qui nihil habet in mundo, quod diligat, nihil est, quod eum ab æternorum desiderio impediatur, teste namque sacro eloquio, frustra jacitur rete ante oculos pauperum penatorum, quoniam ipsorum est regnum cælorum. » S. LAUR. JUST., de *Leg. vit.*, c. 1.

S. Bernardinus in proœmio Sermonis secundi in paupertate, sequentem adducit parabola: Rex quidam duas filias habuit, unam pulcherrimam, aliam turpissimam. Pulchra appetebatur ab omnibus, et honorabatur; turpem vero nullus nedum amare, sed nec videre volebat. Hæc autem amarissime flebat in conspectu Regis; cui Rex: Noli flere, inquit, dilectissima filia mea, nam qui in sponsam duxerit forem tuam, nihil secum accipiet, nisi pulchritudinem ejus; Qui vero sponsam acceperit te, dabo illi Regnum meum. Mystice autem filia pulchra est gloriosa seculi vita, divitiis, et magnificentis plena; filia vero turpis, paupertas voluntaria est, plena penuriis, plena cruciatibus, plena despectionibus. Tamen voluntariis pauperibus solatium est, penuriam pati, cruciatibus fatigari, et ab insensato mundo despicari, et contemni. Hanc turpem filiam, qui acceperit in uxorem, permittit ei Domini regnum suum, dicens: « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum Cælorum. » S. BERN., s. 1, in *Proœn.*

DIGNITAS. — Panem et aquam natura desiderat, nemo ad hæc pauper est, intra quæ quisque desiderium suum clausit, et cum ipso Jove de felicitate contendet. SENECA, ep. XXV.

#### MISCELLANEA.

QUALITAS. — Abbas Marcus sic cum anima sua quondam collocutus est: Et nos, inquires, anima chara, nec aurum cumulam, nec prædia possidemus, et ego respondebo tibi, nec aurum nec prædia per se detrimentum afferre, sed præposterum illorum usum. Quidam enim divites, cum divitiarum amore minime tenerentur, Deo plauerunt, ut S. Abraham, Job et David. Nos vero sine divitiis avaritiæ vitium in materia abjectissima nutrimus. Non cumulamur aurum, sed res vilissimas congerimus. Principatus et dignitates non accipimus, sed omni ratione laudem et gloriam accupamus.

Cum Dositheus cultum, qui ei arrikerat, in usum valetudinarii sibi concedi a Magistro peteret, hic ansam accipiens, placetne, inquit, tibi, Dosithee? visne fieri hujus gladioli servus, an servus Christi? non erubescis appetere et velle, ut gladiolus hic dominetur tibi?

Non illud præcipio, inquit Seneca, ut aliquid naturæ neges: contumax esse, non potest vinci, suum possidet. Sed ut quidquid naturam excedit, scias precarium esse, non necessarium. Esurio, edendum est. Utrum hic panis sit plebejus, an filigineus, ad naturam nihil pertinet, illa ventrem non delectari vult, sed impleri. Sitio, utrum hæc aqua sit, quam ex lacu proximo accepero, an ea, quam multa nive elisero, ut frigore refrigeretur alieno, ad naturam nihil pertinet, illa hoc unum jubet, sitim extinguit. Utrum sit aureum poculum, an crystallinum, an vitreum, an manus concava, nihil refert. Fames me appellat, ad proxima quæque porrigit manus. En ipsa mihi commendavit, quocumque comprehendere. Nihil contemnit esuriens. SENTI, ep. CXX.

Discedant aliquando, inquit idem, ista insidiosa bona et sperantibus meliora, quam assecutus. Si quid in illis esset solidi, aliquando et implerent, nec haerentium sitim concitarent. Quare potius e fortuna impetrem ut det, quam a me, ne petam, quare